QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE ANNIVERSARIIS.

Diem anniversariam ab obitu vel depositione Caroli laetus expectabat Augustinus Parochus, ut omnibus ab Ecclesia permissis suffragiis, et suae pietati et animae sodalis sui carissimi satisfacere posset. Sed vero, accidit, ut die anniversaria ab obitu in confessionibus suorum fidelium excipiendis a mane ad vesperam esset implicatissimus, die vero anniversaria a depositione, duplex I. cl. occurreret. Hinc consultius censuit solemnem Missam transferre in sequentem diem liberam. In hac itaque, ingenti animi sui solamine ipsemet Augustinus Missam de requie solemnem fecit, occurrente licet duplici maiori festo ; in eaque unicam Orationem dixit, *Praesta, quaesumus Domine, ut animae famuli tui Caroli etc.* quam Missale inter Orationes diversas (num. 4) notat. Quinimo, cum vir quidam fideles, Caroli dum viveret consuetudine fruens, pro altero anniversario in eiusdem Caroli animae suffragium stipem illi obtulisset, perlibenter accepit, et tribus vel quatuor post diebus alteram cantavit Missam de requie ; licet duplici minori occur-

rente, eamdem ac supra Orationem unicam dicens, dictum anniversarium late sumptum iudicans. Quae tamen cum Hieronymus quidam caeremoniarum magister animadvertisset, gravi censura notavit Augustinum, cui leges liturgicas nullo pacto in praefatis casibus favere asseruit. *Quaeritur :*

1. *Quid sit anniversarium, quotuplex, et num anniversariae pro defunctis memoriae consuetudo semper in Ecclesia viguerit ?*

2. *Quinam pro anniversariis dies sint liberi, quinam impediti, quotuplex impedimentum, et num transferri semper anniversarium impeditum, et in quam diem possit ?*

3. *Quaenam normae, circa Orationum numerum et qualitatem, anniversaria dirigant ?*

4. *Quid de Augustini agendi ratione iudicandum, prout in casu exponitur ?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Dionysii A. Maloners, Pontif. Collegii Urbani de Propag. Fide Alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 27 Iunii 1900; acta Epitome per R.mum Dom. Paulum Saraiva Apostolicarum Caeremoniarum Magistrum.

I. In prima quaestione tria nobis enucleanda proponuntur : 1. Quid sit anniversarium, et quotuplex ; 2. Num anniversariae pro defunctis memoriae consuetudo semper in Ecclesia viguerit ?

1. Anniversarium, generaliter sumptum, iuxta vocabuli etymologicam notionem, significat diem quamdam determinatam, post anni circulum redeuntem, qua commemoratio peragitur alicuius eventus. Ideoque, in casu nostro, Anniversarium defunctorum, generaliter loquendo, est dies illa fixa et determinata, qua singulis annis memoriam celebramus obitus alicuius vel plurium defunctorum. Modus vero quo haec memoria celebratur, consistit, ut plurimum, in peragendo divino Sacrificio, solemniter vel saltem cum cantu, funebri ritu, qui dicitur de requie. Verumtamen, Ecclesiae legibus inspectis, plura requiruntur ad rite haec anniversaria persolvenda. Fieri potest ut diei, quo defuncti anniversarium incidit, aliqua ritus solemnitas in Ecclesia obstet. Sed, ut apprime quaeque dissolvatur difficultas, adnotasse praestat, duo consideranda esse genera anniversariorum pro defunctis : distinguitur Anniversarium stricte sumptum, et anniversarium late sumptum. Anniversarium stricte sumptum, iuxta Decretum S. Rituum Congregationis d. d. 2 Decembris 1891, num. 3753, definiri potest: « Missa de requie cum cantu, quae die anniversaria ab obitu vel depositione vel alia in perpetuum statuta, celebratur ». Anniversarium vero late sumptum, iuxta idem Decretum, definiri valet : « Illud quod celebrare solent piae Communitates, uti Capitula, Congregationes, Confraternitates, etc. Dicitur autem late sumptum, quia non requiritur ut celebretur die obitus vel depositionis, sed alia quoque die extra illam fieri potest ».

Antiquitus aliae apponebantur conditiones, ut dispositio testamentaria, et celebratio singulis annis. Sed impraesenti ex novo iure, non amplius hae requiruntur. Haec vera doctrina est, et pluries tradita, iuxta citatum Decretum, a variis Ephemeridibus et recentioribus auctoribus. Hinc valde mirati sumus, in

postrema Cl. De Herdt editione, ius antiquum, prout adhuc vigens, tradi, ubi dicitur : « Anniversarium est Missa de Requiem cantata relicta ex dispositione testatoris, quotannis in die ipsius obitus celebranda *(Tom, I, n. 59)* ». In praefata igitur editione, uti forte et in praecedentibus, quatuor citavit Decreta, quae in Gardelliniana collectione inveniuntur, quorum unum et initio Missalium. Sed hi ad casum nihil prosunt. Illa enim iam expuncta sunt ex nova collectione, sicuti et per legitimam auctoritatem reformatum est aliud quod Missali praeponebatur. Pariter inter anniversarium stricte sumptum, fundatum et non fundatum, fere inutilis, praeterquamquod et nunc erronea esse potest distinctio ; utrumque enim iisdem gaudet privilegiis, dummodo vera sint anniversaria a die obitus seu depositionis (1). Et in hoc igitur praedicta editio emendatione opus habet.

Unde ad aequam anniversarii interpretationem, iuxta superius citatum Decretum assequendam sic interpretati sumus : *a) Missa de requie*, nequit enim testatorum voluntati, aut pietati petentium applicando Missam iuxta officium diei currentis, vel votivam. *b) Missa cum cantu*, ita ut esse possit vel solemnis, cum apparatu nempe externae pompae, et Ministris paratis, vel tantum a Sacerdote cantata, sine pompa incensi, acolythorum etc., nunquam vero simpliciter lecta. *c)* Tandem *in die anniversaria ab obitu seu depositione*, vel alia in perpetuum statuta die, scilicet in vero occursu talis diei.

2. Procedamus ad alteram quaestionis partem, ad investigandam scilicet anniversariorum in Ecclesia antiquitatem. Eiusmodi consuetudinis indicia adeo per-

(1) Anniversarium fundatum, iuxta Decretum 3753 potest esse etiam statutum alia ab obitu vel depositionis die: quod non est fundatum, nonnisi in die obitus seu depositionis. Hoc unicum, quod remanet inter utrumque, discrimen.

spicua sunt, ut ab aevo usque apostolico, existentia anniversariorum pro defunctis absque dubio appareat. Afferre imprimis possumus testimonium Tertulliani dicentis : « Oblationes pro defunctis annua die facimus (*De corona Militum, cap. 3*) ». Eadem locutionis forma usus est in libro de *Monogamia*, scribens: « Pro anima eius (nempe mariti) orat et refrigerium interim postulat ei, et in firma resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis eius ». Quantum ad Cyprianum Tertulliani discipulum, valde considerandum est eius testimonium *(lib. 4, Epist. 5)* : « Sacrificia pro Celerino, Laurentio et Ignatio, qui palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt, ut semper meministis, offerimus, quoties martyrum passionis et dies anniversaria commemoratione celebramus ». Praeterea si alia adducere velimus documenta, nil firmius, nil antiquius invenimus, quam quod in Origene legimus *(lib. 3 in Iob.)* : « Convocantur in anniversariis diebus memoriae vel parentum defunctorum vel amicorum, seu quorumcumque qui in fide discessissent, Sacerdotes simul et laici atque in eo coetu priorum, quod in fide discessissent gratulamur ; et sibi pium et tranquillum exitum quisque precatur etc. ». Ita pariter iuvet testimonium afferre S. Athanasii, qui in Homilia, pro defunctis habita, in qua affirmat huiusmodi Missarum usum ab apostolica traditione derivare, in fine orationis, haec dicit: « Et sacrificia et preces et psalmorum cantum, anniversariasque Defunctorum memorias observandas praeceperunt ». Gregorius Nazianzenus orationem funebrem recitans sui fratris Caesarii (*Orat. 10*) , ait : « Alia quaedam persolvimus, alia vero dabimus, anniversarios honores et commemorationes offerentes ». Damascenus idem praedicat in Oratione pro fidelibus defunctis, concludens his verbis ; « Divinarum rerum praecones Apostoli et Sacri magistri et Spiritu Sancto

inspirati Patres . . . . ista omnia, hoc est Missas et preces et cantus anniversariasque eorum qui morte perempti sunt commemorationes instituerunt atque sanxerunt ». Alias suppeditarent documenta Ambrosius, Augustinus aliique antiquiores Patres, sed satis sit illa retulisse. Nunc tamen, eruditionis ergo, referre iuvabit nonnulla testimonia veterum idolorum cultorum, quibus plane ostenditur eundem morem inter gentes in usu fuisse. Marcus Tullius Cicero, loquens de Aruspicum responsis inquit : « qui Sacrificia gentilitia illo ipso in sacello statuto loco, anniversaria facta etc. ». Virgilius (*Aeneid. lib. III*) ita nos erudit : « Sollemnes tum forte dapes et tristia dona. — Libabat cineri Andromache manesque vocabat ». Et rursum (*lib. VIII*) : « Interea sacra haec (quando huc venistis amici). — Annua quae deferre nefas celebrate faventes ». Affirmativa ergo, praeter dubium, responsio danda est alteri huius primi quaesitus parti.

II. Quaeritur praeterea quinam pro anniversariis dies sint liberi, quinam impediti, quotuplex impedimentum, et num transferri semper anniversarium impeditum, et in quam diem possit ?

Dies impediti pro quocumque celebrando anniversario sunt : 1. Omnes dies dominici et dies festi de praecepto ; 2. Omnes ii in quibus aliquod duplex primae vel secundae classis celebratur ; 3. dies infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi ; 4. Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes ; 5. Dies octava Epiphaniae ; 6. Dies Cinerum ; 7. Feriae 2, 3 et 4 maioris hebdomadae ; 8. Tandem dies solemnis expositionis SS.mi Sacramenti. Ita generale Decretum I, sub num. **3753**, quod sic se habet : « Anniversaria, seu Missas cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus, aut alia determinata die,

sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, non comprehendi in Generali Decreto diei 5 Augusti 1662 ; et prohiberi tantum in duplicibus primae et secundae classis, in Dominicis et festis de praecepto, infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SS.mi Corporis Christi, nec non Feria IV Cinerum, maiori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes ; sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiae, in respectivis Ecclesiis tantum ». His addendi sunt dies in quibus festorum quae occurrunt, solemnia transferuntur, quod similiter applicandum est festis eodem privilegio fruentibus. Ceteris quibuscumque diebus Anniversaria permittuntur, quantumvis ritus duplex occurrat, etiam maius. Notandum porro est, circa Anniversaria latiori sensu accepta, quae nunc *anniversaria late sumpta* vocantur, quod celebrari valent extra diem obitus, ut diximus, et absque ulla determinata assignatione diei. Haec Anniversaria, ex S. Rituum Congregationis dispositione pluries evulgata, non cunctis gaudent praefatis privilegiis, et celebrari tantummodo valent diebus ritus duplicis minoris, et a fortiori ritus semiduplicis aut inferioris. Ita ex iam citato Decreto Generali, num. **3753,** V : « De speciali vero gratia, permittitur ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent ; nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam omnium fidelium defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Decemb. 1891.

Relate ad aliam quaesitus partem, nempe quotuplex sit impedimentum pro die anniversaria, re-

spondendum est distingui posse duplex impedimentum, nempe impedimentum liturgicum proprie dictum, et impedimentum non liturgicum. Impedimentum liturgicum, uti patet, est impedimentum alicuius ritus, qui anniversarium recolendum vetat, ut vidimus de diebus supra memoratis. Id erui datur tum ex pluribus S. R. Cong.nis Decretis, tum ex constanti auctorum liturgicorum doctrina. Impedimentum vero non liturgicum provenire potest e quacumque rationabili causa, sed nullam cum ritu diei relationem dicente; v. gr., ut dicitur in casu nostro, Sacerdotis applicatio ad confessiones audiendas. Nunc agendum remanet de anniversariorum stricte sumptorum translatione, cum alicui impedimento obnoxia sunt die propria. Diximus de anniversariis stricte sumptis, quia, si agitur de aliis, iam manifestum est, haec cum celebrari nequeant nisi in duplicibus minoribus, transferri non valent nisi ad aliam diem duplicis minoris ritus, similiter non impeditum. Nisi melius dicere velis, haec anniversaria late sumpta, cum non habeant diem fixum, talem posse quotannis determinari, eo die qui melius Communitati placet, dummodo ritus non occurrat superior duplici minori, pro nihilo habendo praecedentium annorum dispositionem vel introductam consuetudinem. Est igitur lex, in qua omnes auctores conveniunt, pluribus verumtamen Decretis innixi, quod Anniversaria stricte sumpta impedita transferenda sunt in proxime subsequentem diem liberam, aut anticipandam simili more. Praestat maxime Decretum Generale II, sub num. **3753** referre : « Eadem anniversaria, si in diem impeditam incidunt, vel in proximum diem liberam transferri posse, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari ; dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur ».

' III. Quaenam normae, circa Orationum numerum et qualitatem, anniversaria dirigant ?

Ad primam quaestionis partem resolvendam, satis est prae oculis habere Decretum Generale paucis abhinc annis emanatum, sub titulo *Orationum et Sequentiae in Missis defunctorum*, die 30 Iunii 1896. Et sane, S. Rituum Congregatio die 7 Decembris 1897 inserendum voluit, iisdem verbis in corpus Rubricarum Generalium Missalis Romani, titulo 5, *De Missis defunctorum*, sub numm. 2, 3, 4 et 5. Quod Decretum, plene a Summo Pontifice approbatum die 11 praefati mensis et anni, sub num. 3, haec praecipit : « Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus tertio, septimo, trigesimo et die anniversaria, necnon quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat ; uti in Officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis ». Nil clarius desiderari potest.

Ita pariter perspicua est responsio ad alteram partem, circa qualitatem Orationum, ex eo quod habetur in Missali tit. V, *de Missis defunctorum* in Rubrica ad *Orationes diversae pro defunctis*, nec non ex Decretis. Quotiescumque enim in Missa pro defunctis dicitur unica Oratio, haec peculiaris esse potest et debet, atque illi animae respondens, pro qua Sacrificium offertur. Hoc in casu igitur Oratio pro Anniversario erit, pro Summo Pontifice : *Deus qui inter Summos Sacerdotes* ; pro Episcopo etiam Cardinali *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes*, quae et Cardinali Presbytero et Sacerdoti cuicumque aptatur, mutatis mutandis, iuxta Rubricam V. Decr. *Ord. Carmelit.* 29 Ian. 1752, n. **4223**, ad 8. Pro Cardinali Diacono praescripta est Oratio *Inclina*. Pro Episcopo item alia

Da nobis Domine. Altera quae pro simplici Sacerdote inscribitur : *Praesta, quaesumus Domine* adhiberi non valet, ex dispositione Decreti citati **4223,** vult enim hoc quod in anniversario pro Sacerdote defuncto « Oratio *Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur ». Pro laicis tandem, quamvis inter diversas adsint aliae Orationes, sive pro uno, sive pro pluribus defunctis, magis est apta, quae prostat in corpore Missae Anniversariae.

IV. Quid de Augustini agendi ratione iudicandum, prout in casu exponitur ?

Ex superius expositis doctrinis facile tandem ad efformandum rectum iudicium de agendi ratione Augustini devenitur. Quamvis non fuerit liturgicum impedimentum auditio confessionum die anniversaria ab obitu, tamen poterat Augustinus uti libertate Anniversarium recolendi die redeunte *depositionis* Caroli, quae sua vice liturgice impedita, optimae transtulit ad sequentem diem liberam, quae profecto illa erat, in casu, quam elegit, occurrente licet duplici maiori festo.

Erravit ceterum Parochus, duplici minori occurrente, celebrando Anniversarium tribus vel quatuor post diebus, ex voluntate fidelis petentis, quod patet ex definitione anniversarii late sumpti, quam, ut manifestum est, Augustinus perspicuam in mente non habebat; non enim agebatur de coetu aliquo anniversarium recolente pro suis confratribus, sed de Missa pro uno defuncto, iam tunc inter quotidianas computanda.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Galliis.* **De duarum Rubricarum intelligentia.** Missale post Miss. de SS. Trinitate hanc habet rubricam « pro Gratiarum Actione dicitur Missa de SS. Trinitate, vel de Spir. S. vel de B. Maria, additis seq. orat. **sub una conclusione** ».

Item. Ubi adest Societas Propagationis Fidei Concessum est die 21 aug. 1841, ut in Missa tum Inventionis S. Crucis, tum S. Francisci Xaverii, adderetur oratio pro Fidei Propagatione *Sub una Conclusione* quando praedicta festa celebrantur sub ritu dup. I cl.

Rubrica Missalis debet ne intelligi de Missa votiva pro re gravi, an de quacumque Missa pro gratiarum actione etiamsi privata sit?

Num idem sit dicendum de oratione pro fidei propagatione?

Resp. Prima Rubrica spectans Missam votivam de SS. Trinitate pro gratiarum actione nullam relationem dicit cum altera, quae spectat Missam pro Fidei propagatione. Prima enim docet, Orationem pro gratiarum actione addendam esse Orationi, quae propria est Missae dicendae. Quia Missa pro gratiarum actione non habetur propria, sed pro illa dicitur vel de Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Maria: quae singulae non habent Orationes ad gratiarum actionem Deo agendam. Hinc Rubrica vult, ut Orationi de Missa addatur Collecta ad gratiarum actionem agendum instituta. Sicut autem Missa, licet *materialiter* de Trinitate, aut de Spiritu Sancto, aut de B. Maria, est nihilominus *formaliter* pro gratiarum actione, exigit Ru-

brica ut Collecta ista addatur sub unica conclusione Orationi Missae. Convenit enim, ut Missae scopus per primam Orationem inspiciatur et significetur ; cumque Collecta pro gratiarum actione nequeat esse prima, primae tamen addenda praescribitur sub una conclusione, ut saltem tamquam prima figuret. Nihilominus hae duae Orationes, utpote veluti unam constituentes, impedire non valent, quominus aliae Orationes dici debeant, si Missa votiva privata illas exigat, uti per se patet.

Rubrica vero posita ante Missam pro Fidei Propagatione, aliud prorsus statuit ; vult enim ut Oratio quae huiusce Missae est propria, addi possit etiam in aliis Missis festivis, ubi tamen Propagationis Fidei Societas est instituta vel instituetur. Ita tamen, ut si festum, de quo Missa agitur, sit dup. I. classis, dicta Oratio pro Fidei Propagatione addenda sit Orationi diei sub unica conclusione, cum eiusmodi ritus unam tantum Orationem admittat. Hinc manifesto sequitur, sub unica conclusione non esse addendam eamdem Orationem cum alia diei, quoties ritus festi plures Orationes admittat, consequenter neque alias Collectas esse omittendas, quando eas non impedit diei ritus.

II. *E Castello Saltus rotundi.* In ecclesiis quae titularem habent S. Hilarium, dies octava eiusdem S. Doct. incidit in diem festum S. Agnetis, qui transferendus est in primum diem liberum. Porro primus dies liber est 28 Ianuarii ubi celebratur festum S. Agnetis secundo. Quid ergo agendum in iis ecclesiis? debetne omitti festum S. Agnetis 2.? an festum primarium eiusdem S. Virginis transferri in diem ulteriorem? Non enim potest festum agi de S. Agnete et commemoratio de eadem.

Resp. Nobis non est ratio dubitandi, quomodo propositus casus resolvi debeat. Nam primo certum est exploratumque, festum S. Agnetis dup. minus. non posse impedire celebrationem diei octavae S. Hilarii, quae solis

duplicibus 2 cl. cedit. Certum est pariter et nulli, controversiae obnoxium, festum S. Agnetis, utpote perpetuo impeditum, reponendum esse prima die libera. Nec minori certitudine constat, diem primam liberam in casu esse 28 Ianuarii, in quo agitur festum S. Agnetis secundo, quod est simplex. Simplex enim dies libera est, iuxta Rubricas, ad duplex quodcumque, translatione gaudens, reponendum. Ergo indubie in festo S. Agnetis secundo agendum est de eadem S. Agnete, cuius festum die 21 Ianuarii recolitur, et est duplex minus, sed perpetuo impeditum. Quid ergo agendum de S. Agnetis festo secundo? Responsio quoque indubia: Nihil de ea faciendum est, ne incidatur in *bis in idem*. Ita Cavalerius, et iure optimo, docet, uti etiam refert A Carpo, cuius haec verba referimus, quae ad litteram ex eodem Cavalerio (*Tom. I. Cap. IV. Decr. 12, n. 34*): « Si vero quandoque contingeret, primarium festum S. Agnetis *per accidens tantum* alicubi transferri, et haec dies 28 Ian. impedita non foret, in hac, ceu in prima die impedita esset reponendum. In huiusmodi casu totum officium persolvitur ut in priori festo, **nec quippiam fit de festo S. Agnetis secundo** (*Calend. Perp. Adnot. in festa Ian., d. 28, n. V*) ».

Sed posses opponere, agere Cavalerium et A Carpo de translatione accidentali, in casu vero nostro agi de perpetua. Quid interest, cum omnia super allata momenta aequo marte pro utraque translatione militent? Aliunde festa simplicia transferri nec per accidens possunt nec perpetuo (*Decr. Varsavien. n.* 2390 (4181) 7 *Maii 1746 ad 1*).

III. *E Taronibus.* **De concursu inter officia votiva locorum propria.** Utrum Decretum 3837 statuens, distinctionem inter festa Primaria et Secundaria, prae oculis haberi debere non tantum quum occurrunt aut concurrunt duplicia classica aut maiora, sed etiam in occursu et concursu duplicium minorum aut semiduplicium, debeat ap-

plicari quando agitur de officiis votivis non *ad libitum*? An potius Decretum 3908 ad ista officia votiva applicari etiam debeat, quae concessa sunt Ecclesiis particularibus, ut fiant semel in mense aut semel in hebdomada?

Sic in Kal. pro Soc. Ies. in prov. Franciae anno 1901 die 25 Septembri persolvendum est Officium de S. Francisco Xaverio, die vero 26 de SS. Sacramento. Vesperae diei 25 debent ne integre tribui SS. Sacramento cum Comm. S. Francisci, aut dividi a Capitulo?

Resp. Praenotamus ex Decreto primo loco citato inferri quod semiduplicia primaria praevaleant, sicut in occurrentia ita in concurrentia, semiduplicibus secundariis: in paritate autem primarietatis aut secundarietatis semiduplex dignius praeferendum esse semiduplici minus digno. In casu ergo proposito, eo Decreto considerato, Vesperae integrae forent de SSmo Sacramento, utpote dignius S. Francisco Xaverio, cum ambo officia sint votiva, proindeque uti secundaria censenda. Alterum vero Decretum, secundo loco citatum, edicit, inter officia votiva (*ad libitum*) Vesperas esse semper dividendas, iuxta peculiarem Rubricam iisdem officiis praemissam, adeo ut dignitas negligenda sit.

Hoc praenotato pro Lectoribus nostris, ad quos propositum Dubium non pertinet, ut et ipsi facilius intelligant quae in eiusdem Dubii expositione adm. Rev. Consulens dicit, ad solutionem veniamus.

Supponit Dubium, duo officia de quibus in exemplo agitur, non esse *ad libitum*: verumne? Sub quodam respectu affirmative reponi potest, quatenus nempe ea officia pro aliquibus feriis in Calendario sunt inscripta, ut proinde alia officia exclusa videantur, iisdemque diebus, inscriptis relictis, recitari nequeant! Nihilominus advertendum est, non omnes Communitates Regulares teneri ex obligatione ad dicta officia recitanda, quamvis in Calendario sint inscripta, sed illas tantum, quae ad chorum tenentur. Cum

enim hae obligentur ad officium chorale, aliud officium nequeunt recitare ab illo, quod in Calendario statutum est. Imo etsi officium *per accidens* in communi aliqui ex Communitate non recitarent, etiam tenentur ad ipsum; quia quod chorum attinet, unum corpus efficiunt, et *per se* ad unum tenentur officium.

Verum, aliter dicendum est cum agitur de Communitatibus ad chorum non obligatis, uti credimus esse illam de qua in casu. Si autem nos opinio nostra fefellit, sententiam emendabimus. Cum interim haec nostra sit videndi ratio, arbitramur, eam sicut ad chorum, ita ad Calendarium, quod officia votiva spectat, sequendum non teneri. Ratio autem, ex qua talia officia in Calendario inscribuntur est norma generalis, a qua tamen si qui de Communitate recedunt, argui non possunt. *a*) Quia officia votiva, eo ipso quod uti votiva conceduntur, ad libitum sunt, quin id exprimatur oporteat, cum votivum et praeceptivum inter se pugnent. « Votivorum appellatio, ait Cavalerius (*Tom. II, Cap. XXIV, n. I Decr. I*), qua huiusmodi inscribuntur officia, ea quidem liberae facere **videntur** recitationis; et talia reipsa sunt quatenus in classe officiorum ex privilegio sunt constituta, a qua nec extrahuntur per acceptationem ». Dicit auctor *videntur:* quia cum plura officia antiquiori aetate concederentur sub formulis *fieri posse — recitari posse* etc., dubium oriebatur, num eadem officia acceptata in *praeceptiva* transirent, quod et ad officia sub appellatione votivorum extendi posset. Item docet auctor, eadem officia posse a Superiore locali imponi etc. Sed eiusmodi incertitudines impraesenti omnino sublatae sunt, cum Decreta his formulis concepta expuncta fuerint, et Superiores locales, hoc est Episcopos aut Praepositos Generales Communitatum nil posse amplius decernere abunde constet. Ita ut certum nunc habeatur, officium quod petitur et conceditur, praeceptivum evadere si acceptetur, sicut quod

imponitur et acceptandum est; quod autem uti votivum datur, nunquam praeceptivam esse poterit, nisi illius natura mutetur. *b*) In omnibus singulisque Decretis officia votiva respicientibus, ne unum quidem invenies, quod eorum obligationem imponat. *c*) Haec consuetudo Communitatum omnium, quibus aliqua officia recitare concessum est, ut si velint, recitent: si nolint, de feria vel de simplici occurrente dicant, nisi tamen ad chorum adigantur.

Quibus positis, ad propositum Dubium reponimus, Vesperas esse dividendas, ut usque ad Capitulum fiat de S. Francisco Xaverio, a Capitulo de Sacramento; quia in officiis votivis ratio dignitatis considerari non debet.

IV. *Ex eod. loco.* **De die propria festi Titularis SS. Nominis Iesu.** In Ecclesiis quae titularem habent SS. Nomen Iesu, debet ne agi festum titulare die Circumcisionis, aut potius D. II post Epiph. die festo SS. Nom. Iesu?

Resp. Illustris Ecclesia, quae habetur in Urbe a Iesu nomen sumens, solemne de SS. nomine festum celebrat die 1. Ianuarii, seu in festo Circumcisionis. Equidem nomen SS. Iesu ea die fuit impositum, uti ex festi Evangelio constat: ut iure cum A Carpo dici possit, in Circumcisione Domini implicite agi quoque festum istius SS. Nominis (*Bibl. Lit. p. Quart. Cap. II, n.* 7). Hoc haud obstante, certum est peculiare festum, quamvis natura suapte secundarium, de eo SS. Nomine institutum esse, quod primitus Seraphico Ordini datum, anno 1721, uti idem citatus auctor refert (*loc. cit.*), ab Innocentio XIII extensum fuit ad universam Ecclesiam, atque ea nunc die recolitur. Arroges Decretum in *Monopolitana* 12 Mart. 1723, num. **2276** (3958), disceptantibus Patribus Societatis Iesu et Dominicanis ex adverso, quod illi dictum SS. Nominis festum celebrarent die prima Ianuarii, S. R. C., deductis hinc inde iuribus, decernit: « licere PP. Iesuitis celebrare die prima Ianuarii festum SS. Nominis Iesu ». Quid concludendum? Decretum

particulare est: iura deducta respicere possunt tantum, uti credimus, consuetudinem, nisi forte etiam congruentiae rationes, ut illud festum tali die celebrarent, et tamen solum post agitatam controversiam S. R. C. concludit id licere. Quid igitur? Post dicta respondendum esse credimus consuetudinem esse servandam.

Quod attinet vero commemorationem in Suffragis, eam esse agendum credimus, quin omittatur com. de Cruce. Ratio est, quia ut de festis Domini com. aliqua omittatur non sufficit, quod ad Dominum pertineat, sed requiritur etiam identitas obiecti. Principium applicantes ad commemorationem de Cruce, cum alia SS. Nominis, facile patet, idem esse utriusque subiectum, sed obiectum omnino diversum. Ergo.

V. *Ex eodem loco.* **De lectionibus III Noct. in die octava Dedicationis.** Breviarium typicum in die octava Dedicationis Ecclesiae habet: « Omnia ut in festo, praeter lectiones II Nocturni »; ergo lectiones III Noct. sunt sicut in die festi: quod oppositum videtur Decreto 3576 ad 14. Quid?

Resp. Si Rubrica specialis relata cum Rubrica Gen. (*Tit.* 7, *n.* 4) ac Decreto citato conferatur, quaevis oppositio aut incohaerentia facile evanescit. Rubrica Gen. dicit. *lectiones II et III Nocturni esse quae infra octavam positae sunt*: his deficientibus, *lectiones diei festi*. Decretum vero ait: « Legendae lectiones III Nocturni, quae primae post recitatas infra octavam lectiones omissae fuerunt; quando vero omnes lectae sint, in octava erunt ut in festo ». His collatis, manifestum fit. Rubricam specialem, quae ponit infra octava lectiones omnes III, sicut et II Nocturni, supponere manifesto, illas omnes fuisse lectas: ut nil aliud remaneat pro die octava, quam lectiones diei festi repetere. Si ergo omnes infra octavas lectiones lectae non fuerint, quid agendum, nisi quod ait Decretum, Ge-

nerali Rubricae conforme ? Ita quoque sensit Academia Liturgica Romana in analoga, quam discussit quaestionem die 25 Maii an. 1896, uti in Ephemeridibus nostris dicti anni legere est *(V. pag. 653, III)*, atque ita pariter rectus sensus edocet.

VI. *Ex Missionibus.* **De coniunctione hymnorum.** Anno nuper elapso, in Ephemeridum codice mensis Novembris, pag. 687, sententia referebatur quae sic habet: « Admisso, quod certum est, octavam diem S. Ioannis Baptistae utrisque Vesperis carere, palam sequitur, hymnum primum Vesperarum eiusdem S. Ioannis Baptistae coniungendum esse cum hymno Matutini ».

Ratio unionis huiusmodi, ut patet, inde venit quod hymni illius primi omissio truncatam relinqueret (si ita dicere fas est) historiam S. Praecursoris. Et hoc repugnat. Ratio illa, *in genere* spectata, libenter conceditur. Quoad vero *speciem*, seu *peculiarem casum* huiusce hymni, liceat brevem humiliter subiicere observationem, seu distinctionem.

Principium enuntiatum repugnans, est accipiendum ut verissimum, ideoque hymnorum iunctio facienda ne historia truncetur, quando sermo est de hymno historico *semel* tantum, anni decursu, recitando, ita ut pars, in Vesperis omissa nullibi locum inveniret : sic evenit v. g. in festo Ss. 7 Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariae Virg. in quibusdam casibus. Aliter vero sese habere videtur principium, si hymnus historicus spectetur, ad festum pertinens quod *octava* gaudet. In hoc enim altero casu, *totus* hymnus in diversis suis partibus recitatus est saltem ipso die festo; interdum etiam decursu octavae recitari potuit. Quapropter unionis, de qua in casu, causa minus urgere videtur. Et sic ratiocinarer quoad hymnum « Ut quaeant laxis ». Insuper, si utriusque hymni unio pro die octava S. Ioannis Baptistae praecipiatur, quidni

etiam facienda esset ad matutinum diei 27 Iunii, 4ª scilicet infra octavam ; eadem prorsus militat ratio.

Resp. Ne adm. Rev. Consulens censeat, opinionem suam displicere nobis ; imo satis arridet, quod ad minus inficiari nequeat, hymnorum coniunctionem molestiam aliquam, ut taceamus incommodum, officium recitantibus afferre. Aliunde unusquisque ex hymnis, per se saltem, completus esse debet, ut qui singulos prouti iacent recitaret, dum aliquis foret omittendus, rem imperfectam facere , vix dubitari posset. Eapropter nostram sentiendi rationem libenter mutare parati sumus, dummodo ratio in contrarium id nobis suadere valeat. Quam tamen cl. Consulens allegat, haud satis nobis sufficiens videtur : ut sequentem animadversionem illi faciendiam exhibeamus.

Momentum allatum approbatur in genere, non approbatur in specie: ratio huius est, quia non agitur de festo, sed de octava festi. Dicitur enim hymnorum coniunctio in festo praecipi, quia secus totus hymnus non recitaretur in omnibus suis partibus ; at quando sumus in die octava id non comprobatur, quia iam omnes hymni partes in festo recitatae sunt. Hoc profecto non negamus ; at quaerimus tantum, an truncetur tantum hymnus, quando aliqua pars omittitur in festo, an truncentur etiam quando omittitur in die octava ? Responsio certa est : in utroque casu truncatur. Si ergo hoc momentum valet pro festo, valebit et pro octava ; consequenter, si ea de causa coniunctio fieri debet in die festo, certo certius et in die octavae facienda est. Secus hoc oriretur, quod die festo non permittitur truncatio , qui tamen permitteretur in die octava; sed hoc videtur inconveniens non admittendum.

Dicerem potius ob duas causas hymnorum coniunctionem praescribi : prima est, ne truncatio fiat : altera, ne pars aliqua hymnorum, quae velut unum constituunt ratione historiae et nexus, semper omittatur. Si primum

admittas, solutio a nobis data indubie tenenda est: si alterum solummodo, eadem solutio deficit, et in die octava fieri non debet hymnorum coniunctio. Si autem ambae causae admittendae sunt, uti videtur, stabit etiam data solutio: ut potius pro coniunctione, quam pro non coniunctione starem etiam in die octava.

Cl. Consulens subiungit, utramque causam esse admittendam; sed causa truncationis minus urgere videtur quam altera de omissione. Transeat, reponere possumus, ne nimis in longum abeamus; verum, etsi causa praefata minus urgens quam altera supponatur, unde constat, eam esse in casu prorsus negligendam? Negotium non satis clarescit.

Additur in contrarium tandem, coniunctionem, si die octava admittetur, oporteret etiam facere 4ª die infra octavam ad Matutinum. Responderi potest, Calendariis, praesenti in disciplina, officiorum plenis, satis difficile id posse comprobari in praxi. Ceterum, principiis admissis quidni et consectaria, si ex illis vere derivent?

Concludimus, solutionem exhibitam, haud obstantibus oppositis difficultatibus, mutandam esse non satis constare.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Gallia.* Festum S. Ioannis B. De la Salle nondum est ad Ecclesiam universalem extensum; imo an extendendum ad eam sit, dubitatur. Actus autem Canonizationis *per se* non indicat quo die festum celebrari debeat; et usque dum alia dies non designetur, antiquae diei Beatificationis standum est.

II. *Pro eod. loco.* Oratoria Collegiorum ad Regulares pertinentium, in quibus fideles aliquando admittuntur etsi Oratoriorum publicorum iuribus gaudeant, uti semipublica habentur, nec necessitas est, ut consecrentur, aut solemniter benedicantur. Quod si consecrata vel benedicta solemniter fuerint, interiora tamen supponantur, non potest supponi, aliquem illis constitutum esse de iure Rectorem. Consequenter comprehenduntur inter illa, de quibus loquitur Decretum 4025, n. IV, et V: quorum festum per solas Missas recolitur die suo.

III. *Pro eodem loco.* Quamvis Decretum Gen. 3922 de Missis votivis generalem ponat regulam super hymno angelico omittendo in iisdem Missis, sine ulla exceptione pro votiva de Angelis; lex tamen certa est, in hac hymnum angelicum semper habere locum iuxta Rubricam specialem in Missali ante Missas votivas inscriptam.

IV. *Pro Lannes in Gallia.* Verum est, in numero 2648 (4621) Novissimae Collectionis, indicari Decretum Archiepiscopi 24 Dec. 1727 et 2 Ian. 1728, cum tamen hoc Decretum nullibi referatur in eadem Collectione. Quod vero illius intelligentiam spectat, nobis sufficienter perspicuum videtur. Ceterum cum de privilegiis peculiaribus Decretum agat, satis est ut intelligatur ab iis, quorum interest; non autem exigi potest, ut Decreta Episcoporum omnia referantur in Collectione, quae Decretis S. C. R. referendis consecrata est.

V. *Pro Abbatia S. Bernardi in Boruhem.* Posito privilegio Oratorii privati in domo, de quo privilegio, cum de Regularibus agitur, nulla institui potest quaestio, opinio est toto illo temporis spatio, quod intercedit ab obitu usque ad delationem cadaveris in Ecclesiam, licere in illo **Missas privatas de requie. Aucto).** Cadaver autem non est necesse, ut sit in ipso Oratorio *physice*, sed sufficit ut ibi sit

moraliter praesens, hoc est in aliqua aula, vel in aliquo domus cubiculo.

VI. *Pro Turonibus.* Quando duo officia simplificata sibi in concursu succedunt, et de Octava faciendum est officium, optimo iure prima commemoratio facienda de eo, quod primas deberet habere Vesperas. Quia primae Vesperae potiores sunt quam secundae.

VII. *Pro Missionibus.* Officium S. Canuti Mart. nonne ad libitum est? Legat ergo adm. Rev. Consulens Quaestionis solutionem in Ephemeridibus an. 1898 pag. 622, et fortasse sibi persuasum habebit, expunctionem Decreti quod primo citat, non posse censura notari. Quod spectat alterum, nonne lex Caeremonialis, quae exhibetur. Lib. I, Cap. XXVIII, n. 2, satis aperte loquitur, maxime si conferatur cum num. 9 dicti capitis?

VIII. *Pro Baiona.* Si solemnitatis SS. Cordis Iesu indulta sit translatio ad normam aliarum solemnitatum, de quibus Decretum 2 Dec. 1891, arbitramur applicare posse regulam: Ubi eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio. In huius autem solemnitatis translatae solemniori Missa, cum **sola** praecipiatur com. Dominicae, octavae indubie omittenda.

IX. *Pro Liguria.* Adm. Rev. Consulenti animadvertendum est, S. R. Cong.nem, cum responsa sua dat requirentibus, Dubia sibi proposita perpendere: quod vero pertinet expositionem Dubiorum et ratiocinationem, qua illi quandoque utuntur, aut multum, aut parum aut nihil illam attendit, prouti melius pro sua sapientia diiudicat. Hinc a rationandi modo Oratoris super Rubrica Tit. X, n. 1. consultius est abstrahere, pro diiudicando responso circa S. Eparchium, quam considerare. S. C. respondet, illum uti Titularem sua gaudere octava cum in Dominicam transfertur: hoc verum est, sed ratio huiusce dispositionis ab expositione Dubii, seu ab exordio quod Dubio praemitti-

tur, argui secure non potest. Nos illud explicavimus meliori ratione, qua potuimus. De reliquis quid ad nos ?

X. *Pro Catana.* « Tersis *(manibus)*, ait Caeremoniale Episcoporum, reponuntur ei *(Episcopo)* annuli *(Lib. II, Cap. 8, n. 11)* ». Codex hic loquitur de annulis, quos plures antiquitus gestabant Episcopi : usus iste amplius non viget, et unum gestant impraesenti annulum qui dicitur pontificalis. De hoc non intelligitur Caeremoniale, loco citato, uti abunde constat ex num. 22 eiusdem Capitis, in quo edicitur annulum pontificalem Episcopo imponendum; ergo nondum ei fuit impositus. De hoc loquitur Decretum 3744 ad 1.

Nota. Grates ei referemus, si alterum dubium adm. Rev. Consulens clarius exponere velit.

XI. *Pro Gallia.* Nemini dubitandum, chorales omnes discoopertos esse debere, et capitis inclinationem agere, dum seu in Missa seu in Vesperis schola cantorum modulatur nomina Iesu, Mariae, atque Sancti, cuius festum agitur. Constat, seu ex Caeremoniali Episcoporum (Lib. II, Cap. VIII, n. 46 *et alibi)*, seu ex Decretis, seu ex universali summeque laudabili servandaque consuetudine.

XII. *Pro eod. loco.* Episcopo psalmos recitante pro praeparatione ad Missam, stabunt qui assistunt. « Ceteri omnes, ait Martinucci, qui aderunt in choro, suis locis sedebunt *(Lib. V, Cap. IX, n. 40)* ». Idem dum lavat manus servandum *(V. De Herdt, Prax. Pontif. Vol. 2, pag. 130-131, n. 80, lit. d)*. Sedebit pariter chorus statim ac Episcopus sacrum sanguinem sumpserit, nisi ritus pacis adhuc in choro continuet : quo expleto, sedebunt.

XIII. *Pro Vico.* Verba tam Pontificalis, quam Caeremonialis circa festorum publicationem in festo Epiphaniae obligationem significant et pariunt. Hinc ait cl. De Herdt: « Festa sunt publicanda prout in Pontificali praescribitur etc. *(Pr. Pont. lib. 2, Cap. 15, n. 3)* ». Consuetudo con-

traria alicubi invecta, est factum nil concludens, quia factum non probat ius, et lex servanda.

XIV. *Pro Lannes.* Decretum 3431, Pars 2, ad 5 legi stricte inhaeret : Decretum 3876 ad 4 opportunius censuit inhaerere consuetudini Urbis. — Decretum 4025 ad 4 agit de Titulari Ecclesiae : Decretum 2849 non agit de eadem re. — Decretum 1680 et 3636 ad 1 agunt de *posse*, sed 3718 ad 5 aufert posse, et quod faciendum est statuit : index remedium afferet, speramus.

DE MISSIS CORAM SACRAMENTO EXPOSITO

VI CAEREMONIALIS EPISCOPORUM

DISSERTATIO

Auctores non conveniunt in interpretatione Caeremonialis Episcoporum quod attinet Caput 12, n. 9 Libri I : ubi agitur de non incongruitate, sed maxima decentia, ut *in altari, ubi SS. Sacramentum situm est, Missae non celebrentur*. Dicunt enim quidam ibi agi de altari, ubi Sacramentum in Tabernaculo asservatur : ut consequenter codex non agat de Missis coram Sacramento exposito. Alii vero tenent, Caeremoniale Episcoporum ibi agere de altari, in quo Sacramentum expositum est : ut proinde non incongruum, sed maxime decens iudicet, Missas coram Sacramento exposito non celebrari.

Occasione nacta ex cuiusdam quaestionis tractatione, quam exhibet Ephemeris *Nouvel Revue Théologique* in

initio num. mensis Octobris vertentis anni 1900, docens Caeremonialis hac super re incertitudinem, praesentem Dissertationem ob oculos lectorum nostrorum ponimus, ut iudicent vel pro incertitudine vel pro perspicuitate Codicis.

Textum Codicis integre ante omnia referamus, uti legitur dicto Lib. I cap. XII, n. 9 : « Quo si aliquando contingeret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, **existente SS. Sacramento super altari,** quod **feria V in coena Domini, et feria VI in parasceve, et in Missa, quae celebratur in festo SS. Corporis Christi,** vel cum **exponitur Oratio quadraginta Horarum,** ante processionem evenire solet ; tunc omnes genuflexiones et reverentiae ad unguem observari debent : et Episcopus nunquam sedere, sed stare sine mitra, prout suis locis declaratur ; **et ideo** non incongruum sed maxime decens esse, ut **in altari ubi sanctissimum Sacramentum situm est,** Missae non celebrarentur . . . aut saltem celebrans sive solemnes, sive planas Missas, **reverentias et genuflexiones praedictas** omnino observare debet. Ante SS. Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio ibidem praeparato orabit, priusquam ad altare maius se conferat, et surgens iterum genuflectet, ut prius. Ante altare maius caput cruci profunde inclinabit, postea genuflectet et orabit ; demum surgens, iterum caput, ut prius inclinabit ».

Nunc simpliciter quaerimus : Sacramentum feria V in Coena Domini, de quo textus Caeremonialis, expositum ne est solemniter super altare, an in Tabernaculo reconditum ? Sacramentum, quod feria VI in parasceve existit, in Ecclesiis, estne et ipsum solemniter expositum, an tantum in Ciborio custoditum ? Et Missa, quae aliquando contingit celebrari in festo Corporis Christi, de qua hic loquitur textus Caeremonialis, celebrari ne supponitur in

altari, ubi expositum est SS. Sacramentum, an ubi in clausum manet in Tabernaculo ? Denique, Missa quae celebratur quando *exponitur Oratio quadraginta horarum, ante processionem*, habetur ne, iuxta codicem, coram Sacramento exposito, an coram eodem in Tabernaculo asservato ? Magno quidem non est opus ingenii acumine, ut sequens detur petitionibus responsio, vix ulli discussioni obnoxia : Caeremoniale loquitur de Sacramenti Expositione et non de simplici asservatione in Tabernaculo, et Missa, de qua textus agit, est coram Sacramento pariter solemniter exposito, non vero ad altare, ubi idem Sacramentum asservatur in Tabernaculo. A probationibus abstinemus, ne quasi mari aquam, vel soli lucem videamur afferre.

Iam vero, post relata exempla, et genuflexiones ac reverentias Sacramento exposito debitas etc., Caeremoniale prosequitur : « **et ideo** non incongruum, sed maxime decens esset, ut in altari, **ubi sanctissimum Sacramentum situm est**, Missae non celebrarentur etc. ». Et hic modo inquirimus : quid significent haec verba **ubi Sacramentum situm est** ? Sacramentum in Tabernaculo clausum ? Negative reponimus *a)* Quia inter exempla superius allata et Sacramentum in Tabernaculo clausum nullus foret nexus: aliunde textus superiora et inferiora nectit per verba **et ideo**. *b)* Quia nullibi legitur in Caeremoniali Episcopum et sine Mitra, et stantem semper esse debere coram Sacramento clauso in Tabernaculo. *c)* Quia dum textus loquitur de loco, ubi Sacramentum situm est, iterum notat, reverentias et genuflexiones **praedictas** omnino observari debere. Atqui reverentiae et genuflexiones, de quibus superius textus locutus fuerat, agendae indubie erant coram Sacramento exposito ; ergo idem Sacramentum supponunt, non in Tabernaculo clausum, quo in casu nullum haberent sensum, sed super altari solemniter expositum.

Verumtamen, quamvis omnino certum dixerimus quod credimus demonstratum, nihilominus auctores non desunt, qui iudicent textum Caeremonialis, non de Sacramento exposito agere, sed asservato in Tabernaculo. Videamus. De Herdt primus est, qui Caeremonialis hunc referens locum, eiusmodi exhibet interpretationem, dicens: « . . . maxime decens esset ut in altari ubi SS. Sacramentum situm est (seu clausum in tabernaculo custoditur), Missae non celebrarentur *(Prax. Lit. Tom. II, n. 25, III)* ». Id autem refert opinionem aliorum citans, quam et mox examinabimus.

Notare interim iuvet, cl. De Herdt in Praxi Pontificali admittere, exempla Caeremonialis superius relata agere revera de Sacramento exposito. En eius verba: «Caeremoniale hoc loco non agit de integra Missa celebrata coram exposito SS. Sacramento, sed de feria V. in Coena Domini, feria VI. in Parasceve, et de Missa in qua consecratur Hostia circumferenda in processione SS. Corporis Christi, aut exponenda initio Orationis quadraginta horarum: in quibus casibus SS. Sacramentum per breve tempus super altari existit (*Tom. I, num. 99. lit. a*). Animadvertimus primo. *Per breve tempus* manere Sacramentum super altare expositum feria V., coopertum licet, concedimus: *per breve tempus* manere etiam feria VI., negari potest; supponitur enim Missa celebrari ad altari sepulchri, ut, quamvis ea sit praesanctificatorum, integra in illo dicatur. *Per breve tempus* manere Sacramentum expositum in festo Corporis Christi, esse et non esse potest; quia multis in Ecclesiis prius exponitur Sacramentum, et postea coram illo agitur Missa. *Per breve tempus* manere Sacramentum super altari expositum, cum exponitur pro Oratione quadraginta Horarum, esse pariter et non esse potest; quia verba *cum exponitur* significare valent, in casu, non tantum materialiter Missam de Expositione, sed

etiam Missam secundi diei, et Missam diei tertii de Repositione, uti serio consideranti facile patebit.

Animadvertemus secundo. Sit breve tempus, sit longum, nostra non interest : interest autem, ibi codicem loqui de Sacramento exposito : interest, Episcopo non sedendum sed standum sine mitra, quod de Sacramento asservato in Tabernaculo nequit comprobari. Quo posito, nec discussioni obnoxio, prorsus inexplicabilis est nexus verborum immediate sequentium, **et ideo** etc. Non ergo credimus, mentem cl. De Herdt favere opinioni oppositae ob illa verba, quae infra parenthesim et obiter posuit in sua *Praxis Liturgiae* aliorum opinioni innixus, cum hic in *Praxis Pontificalis*, ubi locus erat opportunior quaestionem ex professo tractandi, penitus sileat, et expositum Sacramentum admittat. Ergo et in inferioribus verbis Sacramentum pariter expositum fateri debet, ne et ipse inexplicabilis esse velit, sibique contradicere.

Affertur et Gavanti opinio, favens Sacramento in Tabernaculo clauso ; sed ipse quaestionem istam ex professo non tractat loco citato a cl. A. nempe part. I. Tit. XX, lit. u, quamvis innuat, se ita codicem intellexisse, seu de Sacramento asservato in Tabernaculo. Quaestio ab ipso agitur ex professo de Cruce, an debeat apponi super altari, in quo Sacramentum expositum est, an non. Quanta ergo vi pollere potest vel suppositum, vel opinio, esto optimae notae auctoris, ex professo non tractata, et nulla ratione probata ?

Gradum facimus ad Gardellinii auctoritatem expendendam. En eius verba (*Instr. Clemen.* § *24. n. 6*) : « Laudabile multum esset, si in eo altari *(de altare loquitur, ubi Sacramentum asservatur, uti ex superiori numero 2 evidenter patet)*, nec Missae privatae celebrarentur, ut innuit *Caeremoniale Episcoporum*, et monet *Gavantus part. I. Tit. 20, lit. u*). Praemitto cum Caeremoniale Episco-

porum lib. I, Cap. 12, maxime decere ut ibi Missae non celebrentur, quod antiquitus servatum esse testatur, et loquitur ibi etiam de Missis planis ». Hanc quoque auctoritatem robore, in casu, destitutam iudicamus, cum simplex sit assertio, Gavanti quoque opinioni innixa, quae quanti facienda sit, iam exposuimus.

Aliam quoque auctoritatem perpendamus oportet, quam in Catalano legimus, licet eiusdem non sit, sed quorumdam Sacrorum Rituum cultorum, qui parisiensem Caeremonialis editionem curarunt *(Edit. parisiens. an. 1860)*. Hi ergo scribunt apud et post Commentarium Catalani : « Quod habet hic Caeremoniale *maxime decens esse ut in altari, ubi SS. Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur,* auctor noster **interpretari videtur** de Sacramento palam exposito : sed **genuinus sensus est**, de praesentia Sacramenti etiam in Tabernaculo inclusi ». Miramur primo verba *interpretari videtur*, cum Catalanus in hac sua expositione clarior magisque explicitus vix esse queat. Audias illum : « Tametsi in superiori § *VIII* cautum sit ne in maiori altari, vel in alio, in quo divina solemniter celebranda sunt officia, Tabernaculum cum Sacratissima Eucharistia extet, ne scilicet ritus et ordo caeremoniarum, uti superius dictum est, inturberetur ; recte nihilominus ex § praesenti admonemur, ut si aliquando contingeret coram Episcopo celebrari etc. etc. ». Et refert exempla, iam superius relata, de Sacramento vere exposito, uti accidit feria V. et VI. maioris hebdomadae, in festo Corporis Christi, et in Oratione Quadraginta Horarum. Postea prosequitur commentans : « Ritus sane is recens est, quia scilicet pia praxis exponendi omnium oculis super altari Sanctissimum Sacramentum, ut paucis abhinc saeculis fieri assolet, antiquis ignota fuit etc. etc. *(Lib. I, Cap. 12, n. IX, 1)* ». Luce ergo meridiana clarior est Catalani interpretatio ; et sicut, iuxta ipsum, Caeremo-

niale Episcoporum vetuerat in n. VIII. Sacramentum in Tabernaculo custodiri in altari, ubi Missae vel Vesperae solemnes per Episcopum vel alium faciendae essent, ita in praesenti numero *maxime decens esse* docet, ut Sacramentum non habeatur expositum in altari, in quo eaedem functiones celebrari debent. Non ergo agitur de interpretatione incerta, sed certa, ut verba *interpretari videtur* inopportunam modestiam sapiant.

Miramur secundo verba *genuinus sensus est*, de praesentia scilicet Sacramenti in Tabernaculo asservati, quae quandam quasi audaciam revelant; cum enim exempla in codice allata nonnisi Sacramentum expositum significare valeant, meliori certe iure dici potest, genuinum sensum esse oppositum.

Sed de horum sacrorum Rituum cultorum interpretatione probationem audiamus. Dicunt primo, ita codicem fuisse intellectum a Gavanto, a Thiersio, a Gardellinio; et de horum, si alterum excipias, quem in promptu non habemus, interpretatione quid sentiendum sit, iam exposuimus. Dicunt postea, verba codicis de Sacramento asservato, non exposito, esse intelligenda, « sicut sedulo tibi clare apparebit, maxime si conferas varias Caeremonialis editiones: Nam haec verba *reverentias et genuflexiones praedictas observare debent* fucum quidem faecrent, si illa referre velles, sicut egit Catalanus, ad ea quae paulo superius dicta sunt de Missa, existente Sacramento super altari. Verum in Textu editionis Clementis VIII, nonnulla reperiebantur de his quae fieri non possent, vel de his quae agenda forent, in Missis et Officiis coram Sacramento in Tabernaculo asservato, signanterque de genuflexionibus in tali occurrentia requisitis: quapropter ad hunc casum paulo inferius rediens, Caeremoniale dicebat *praedictas genuflexiones*. Dempta sunt haec in editione Innocentiana; sed to *praedictas* quod mutari debuisset, correctoris cautio-

nem fallens, remansit in Textu (*Loc. cit. post Comment. Catalani III*) ». His observatis, Sacrorum Rituum cultores loquuntur et ipsi de prohibitione Missae, sive in cantu, sive planae, coram Sacramento exposito servanda.

Ad haec respondemus primo, nullam sufficientem extare rationem ut notari censura debeat corrector, quasi inconsiderati vel inepti, quem ecclesiastica auctoritas pro Caeremonialis mutatione selegit. Secundo, Sacrorum Rituum cultores praefatos omni reverentia a nobis dignos aestimari, sed eorum auctoritati et interpretationi nos adhaerere non posse ex superius discussis. Tertio, argumentum nostrum, pro Sacramento exposito, non respexisse tantum το *praedictas*, sed connexionem inter totum textum, inter exempla superius allata et consequens, quod codex infert: ut, si verbum praefatum demas, parum vel nihil lucratus fueris. Quarto, lectores non teneri studium instituere comparativum inter editiones diversas; sed stare debent editioni ab auctoritate competenti propositae: haec autem, nisi de Sacramento exposito loquatur, explicationem in casu non patitur et omnino incohaerens est: quod nec potest, nec debet admitti. Quinto, quod codex docet et Catalanus exponit, optime veritati respondet: ut causam ex qua nonnulli conantur, vim textui inferentes, illum de Sacramento clauso in Tabernaculo explicare, non intelligatur. Quod enim in codice dicitur, ex Sacrorum Rituum Cong.nis Decretis sancitur quoque et magismagisque roboratur. Sexto, quare et ipsi Sacrorum Rituum cultores, Catalanum impugnantes, de ipso Sacramento exposito in hoc loco loquuntur, sibi quasi adversantes? Veritatem facto admittere videntur, quam verbis negant.

Inferes, summo iure cl. viros Bouvry, Schober, et peculiariter Confratrem nostrum F. Zualdi bo: me: sustinuisse, utpote veritati conforme (V. *Ephem. Liturg.* anno 1889, pag. 364) ibi Caeremoniale Episc. de Sacramento

solemniter in altari exposito fuisse loquutum, haud vero clauso in Tabernaculo.

Sed placet audire etiam cl. A. Hermans in *Nouvelle Revue* ratiocinantem: « Ut deducatur e textu Caeremonialis, in altari, ubi Sacramentum expositum est, Missam esse vetitam, oporteret ut verba *altare ubi Sacramentum situm est* significarent altare expositionis. At est ne eiusmodi verax sensus? Haud ita nos autumamus »; citatque pro se De Herdt, Gavantum, Thiers et Gardellini. Inde prosequitur, interpretationem magis naturae respondentem esse illam, quae per dicta verba intelligit Sacramentum *clausum in Tabernaculo*. En ratio quam affert: cum agitur de expositione, consecrata formula adhibetur, *expositum est*: « quand il s'agit de l'exposition, la formule consacrée est *expositum est*. ». Sed reponimus, formulas paulatim consecrari: ut quod cl. A. asserit, non diffiteamur. Si vero aetate, qua primitus Caeremoniale fuit conscriptum, dicta consecratio nondum facta fuisset, culpae certe incusari nemo potest. Insuper nescimus quantum intercedere discriminis possit inter duo verba **existere**, et **situm esse**. Atqui Sacramentum super altari **existere**, hic significat certe, iuxta Caeremoniale, dictum Sacramentum esse expositum, uti superius demonstratum est. Ergo idem pariter significari potest ac debet per alia verba **situm esse**, quae idem propemodum sonant, imo in casu id significare tantum possunt et non aliud, iuxta dicta superius.

Prosequitur cl. A. censura notare Ephemerides Liturgicas, hoc est super laudatum F. Zualdi, qui ut demonstret Caeremoniale verba facere de Expositione, ad eiusdem Caeremonialis contextum appellat his verbis: « Ab antecedentiis et consequentiis commemorata verba ad SS. Sacramentum ad altare expositum, spectare videntur ». Probatio, ait A., haud multum concludit. Et quare? Quia,

prosequitur, post textum controversum Caeremoniale praescribit, Episcopum se conferre debere ad adorandum ante altare Sacramenti, unde redire debet ad altare maius, in cuius plano *caput Cruci inclinat*: quod est aperte insinuare, Episcopum celebrare debere ad altare, ubi Sacramentum non est.

Reponimus. *a*) Ex dictis satis abunde constat, Zualdi iure merito sustinuisse, vi antecedentium et consequentium Caeremoniale de solo Sacramento exposito loquutum fuisse ; ex modestia autem qua praeditus erat, tantum addidit, *ad Sacramentum expositum spectare videntur*, cum cetero meliori iure, dicere potuisset, *ad Sacramentum expositum spectant*. *b*) Verba Caeremonialis *ante altare maius caput Cruci inclinat*, nihil insinuant, sed supponunt quod antea (n. 8) codex diffuse dixerat, hoc est ad altare maius, ubi Episcopus vel alius aut Missam aut Vesperas est solemniter celebraturus, esse non debere Sacramentum, *sed in alio sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia ponatur*. Imo, si in illo habeatur, iubet Codex, ad aliud altare transferendum esse, ne ordo caeremoniarum turbetur. Post haec, verba codex facit de casu, vel hypothesi, ex quo Sacramentum inveniatur expositum, aut exponi debeat in altari principe, ubi Pontificalia sunt agenda. Normis autem sectandis pro hypothesi aut casu, assignatis, redit codex ad ea quae sunt iuxta legem, et docet : « Ante SS. Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio . . . orabit, priusquam ad altare maius se conferat, et surgens iterum genuflectet ut prius. Ante altare maius, caput cruci profunde inclinabit etc. etc. ». Quid proinde ex relatis verbis, quae post admissam hypothesim vel casum possibilem, Caeremoniale habet, in favorem sententiae cl. Hermans inferri possit, ingenue fatemur, non intelligitur. Relationem

enim nullam habent cum casu, de quo Caeremonialis liber superius locutus fuerat.

Sed ad probationem thesis a cl. A. exhibitam deveniamus. Ait ipse, verba relata superius, nempe non incongruum, sed « maxime decens esset, ut in altari ubi sanctissimum Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus », praeceptum non constituere. Innititur rationi a Gardellinio allata, hoc est : « Non enim a Caeremoniali Episcoporum prohibetur, sed Rubrica a simplici decentia rationem desumit, ne in eo altari Sacrum fiat (§ *XXIV*, *n. 3*) ». Verum quid est quod non prohibetur a Caeremoniali, iuxta cl. Gardellini ? Missa coram Sacramento exposito ? Negamus, et vehementer negamus. Gardellinius, ex falsa hypothesi, uti ex superius discussis manifestum fit, putans ibi Caeremoniale agere de Missa privata ad altare Sacramenti in Tabernaculo clausi, nimis se implicatum sensit; et in Rubricam non praeceptivam confugit, ut se districaret, sed frustra. Caeremoniale privatam Missam nusquam prohibet coram Sacramento clauso in Tabernaculo; non enim ignorare poterat et universalem laudabilemque praxim ea in re, et Rubricas Missalis, quae, ipsomet Gardellinio fatente, consuetum supponunt, Missas in eo altari celebrari, ut et ritum a Sacerdotibus servandum in genuflexionibus praescribant. Quonam autem iure vel indecens, vel etiam minus decens, universalis Ecclesiae usus a Caeremoniali Episcoporum poterit appellari, quemque exerceri Rubricae supponunt, et regulas pro eo adimplendo suppeditant ? Sit Gardellinius amicus, sint amici Gavantus, Thiers, De Herdt, sed magis amica veritas : Missae privatae in altari Sacramenti in Tabernaculo asservati, neque praeceptive, neque directive vetitae fuerunt unquam, neque erunt. Neque de his loqui voluit aut potuit Caeremoniale Episcoporum, quod de iisdem certo certius loqui et potuit et

voluit coram Sacramento exposito celebrandis, quas respuit. Equidem verum est de magna opportunitate et maxima decentia verba facere, ex quibus tantum dictas Missas non approbat, sed qua de causa ? Profecto, quia saepius accidit, ut necessitas illas exigat, et aliter fieri non possit. En aequa codicis textus interpretatio, quam demonstrant Decreta plura Sacrorum Rituum Tribunalis, quippe quod eas Missas omnino prohibet in altari expositionis, permittunt tamen cum necessitas urget. Hinc idem Caeremoniale hanc necessitatem, ex qua minus decens excusatur, supponens, ait : « aut **saltem** Celebrans in eo, sive solemnes, sive privatas Missas, reverentias et genuflexiones praedictas omnino observare debet (*Loc. et n. pluries cit.*) ». Ceterum quas reverentias aut genuflexiones speciales observare **omnino** deberet celebrans privatam Missam ad altare, quod Sacramentum in Tabernaculo asservat ? Nullas, prorsus nullas : adeo ut, si abstrahas a genuflexionibus quando accedit ad altare, aut Missam incipit, et quando ab altari recedit, quae tantum ante et post Missam comprobari possunt, haud vero in Missa, verba codicis ad dictam privatam Missam referri nulla ratione possunt, dum tamen verba codicis longe aliud significare nata sunt.

Ex dictis omnibus abunde resultat, certum optimumque argumentum desumi ex relato Caeremonialis Episcoporum loco, ut sicuti Missae seu solemnis seu privatae omissio congrua et maxime decens habenda sit in altari, ubi Sacramentum est expositum : ita nullo pacto eiusdem Missae celebratio a Caeremonialis loco praedicto vel leviter tangitur coram Sacramento in tabernaculo asservato.

(*Continuabitur*).

ANIMADVERSIONES

Super diversis sententiis a Dom. I. D'Adamo propugnatis

Sit mihi venia, et cl. D'Adamo pax, si eius peritiam quamquam summopere admirer in rebus liturgicis, in aliquibus tamen arbitror eam paulisper deficere. Ante omnia, veritas completa.

1° *Quoad Protonotarios, huius anni pag. 628.* — Vim suae argumentationis ponit in eo praesertim, quod decretum IV Kalendas Septembris 1872 dixit Missam, et non *solam* Missam, Pontificalibus gaudere, et concludit exinde Protonotarios non privari eodem iure in Vesperis.

Primo silentium quod super Vesperis tenetur, ex se tendit ad demonstrandum usum Pontificalium non in eis permitti, nisi positive aliter constet, cum insuper hic denegatur quibuscumque aliis ecclesiasticis functionibus, quae non praecedunt vel *sequuntur* immediate Missam solemnem (n. 3262 ad 17). At nedum aliter constet, e contra mens legislatoris fuit abusus ex immoderato honorum desiderio provenientes eliminare, et regulas quoque edere quibus propria Protonotariorum privilegia nitide certiorarentur. Si autem, nonobstante silentio super Vesperis, usus Pontificalium hisce concedi possit, Constitutio ad hoc condita suum non attinget finem, neque ansa de novo occludetur aliis abusibus futuris, cum aliqua mediante gratuita suppositione, iam poteris illum extendere ad talem vel talem functionem licet in Constitutione omissam. Itaque, ut utar verbis ipsius cl. D'Adamo, si de mente legislatoris constet, interpretatio facienda est potius se-

cundum ipsam, quae est excludere Vesperas, *a)* quia si Vesperas comprehendere voluisset, profecto nominasset, quod non fecit, *b)* et quidem facile per unum verbum, addendo vocem « *Vesperas* », quod non dixit. Unde argumentatio adversa contra suum auctorem retorquetur.

Secundo, enumeratio privilegiorum in Constitutione facta nullo pacto haberi potest incompleta, sicut praetendere videtur cl. D' Adamo ad suam conclusionem firmandam; aliter inanis esset poena, quae expressa contra transgressores huius Constitutionis decernitur, quod dicere nefas est. Nam « Qui secus fecere, aliisve praeter memorata (et Vesperae non memorantur) privilegiis et iuribus uti praesumpserint — haec sunt verba ipsa Constitutionis, n. 21 — si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus honore privatos se sciant ».

Hinc recedendum firmiter credo a sententia in *Ephem.* relata, et spero easdem in proximo numero protrahi ad affirmandam doctrinam quam tenemus iuxta decretum, nempe: usum Pontificalium in casu restringi ad solam Missam, nisi forte alia quaecumque ecclesiastica functio Missam solemnem immediate praecedat vel subsequatur.

2° *Quoad Missas privatas de Requie in oratorio privato, huj. anni pag. 519* — Decretum 19 Maii 1896, n. 3903 tres clare supponit casus — cadaver praesens, cadaver insepultum, et cadaver sepultum — pro quibus declarat Missas privatas de Requie sub certis conditionibus permitti in oratoriis privatis, sicut et in ecclesiis et capellis publicis. Unde si admittatur interpretatio disiunctiva pro ecclesiis, non potest altera coniunctiva applicari oratoriis privatis, cum legis dispositio eadem est pro utroque casu, scilicet, « *die vel pro die obitus aut depositionis* » Porro, vox *vel* disiunctive intelligitur; et non cumulative, pro ecclesiis et capellis publicis, de omnium consensu. Ergo et pro oratoriis privatis, praesertim quod in eadem phrasi

vox *aut* reperitur, quae cumulationem omnem repellit, et itaque sustineri nequit conclusio contraria cl. D'Adamo.

Similiter, decretum 12 Ian. 1897, n. 3944 ad 3 tenet easdem Missas in oratoriis privatis permitti sicut et in ecclesiis, excepto quod in ecclesiis funus simul fieri debet cum Missa exequiali illa die. Sola autem differentia cum illa est quod Missa solemnis in oratoriis privatis numquam admittetur, statim apparet in his cumulative celebrari non posse, cum in ecclesiis una vice tantum permittuntur. Ceterum si licitae forent coniunctive, responsio non diceret: *dummodo* cadaver sit physice *vel* moraliter praesens, sed absolute: *quoties* cadaver est physice vel moraliter praesens. Hoc confirmatur per quaesitum sequens: Utrum quilibet sacerdos possit unam tantum Missam de Requie celebrare, vel plures diversis diebus, dummodo cadaver sit insepultum non ultra biduum? » Nam Congregatio respondit sapienter: « Stetur decretis » (3 april. 1990 ad 2. 3. 4. apud *Ephem.*), id est, poterit diversis diebus plures celebrare Missas, si occurrat officium *semiduplex*, non autem, si *duplex*, qua obstant decreta.

Denique, si pluralitas dierum, in quibus licent Missae privatae de Requie, quatenus animas defunctorum adiuvant, deberet admitti pro oratoriis privatis, multo magis concedi debuisset pro ecclesiis, quin abeat in tantum detrimentum erga ius commune: nam in primo casu, non solum Missae privatae permittuntur absque Missa solemni, sed plures conceduntur ubi una tantum deberet iuxta ordinem recitari: unde scopus indulti generalis non potest ibi vocari in testimonium, cum faveret non animabus defunctorum in genere sed tantum animabus divitum, ut patet.

Hinc sententia a cl. D'Adamo defensa non respondet vere spiritui legis, sed nostra, quae est ceterum doctrina

Academiae Romanae (1899 pag. 672) et etiam ipsius cl. g. D'Adamo (1900 pag. 207).

3° *Quoad sensum verborum: non ultra biduum relate ad Missas de Requie.* — Limites intra quos permittuntur Missae de Requie, *cadaver sepulto vel insepulto*, nullam distinctionem patiuntur. Quando enim in decreto 13 febr. 1892, n. 3767 ad 26 legitur: *dummodo non ultra biduum ab obitu*, restrictio respicit tam cadaver insepultum quam et humatum, et proinde non potest unum sensum habere in priore casu, et alterum in posteriore. Porro sensus qui convenit in utroque casu, est iste, nempe : non ultra biduum *mortis*, et minime, non ultra biduum *depositionis*, ut tenet cl. Gonzalez (1900, pag. 279-280), quia si aliquando vox *obitus* potest adhiberi pro voce *depositio*, contextus ibi repugnat tali interpretationi, cum sensus depositionis non potest quadrare cum cadavere insepulto. Hoc confirmatur decreto generali 2 Dec. 1891, quod Missam celebrare permittit *in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus*, sive cadaver in ecclesia praesens esse nequeat (ergo insepultum) sive iam terrae mandatum (ergo sepultum); quippe eadem dispositio legis non potest diversimode intelligi, si ipsa non variantur verba, aut quisque poterit in suo sensu abundare, et actum erit de lege.

A. Fourneret. Acad. *Liturg. Rom.*

RESPONSA.

Valde mihi placet oppositio facta a Dom. Fourneret contra thesim meam, quae fortassis cum responsione, quam illi daturus sum, maiorem firmitatem accipiet.

1. Non totam vim posui argumentationis meae in eo quod Constitutio loquatur de Missa, et non de *sola* Missa. Hoc praecipue dixi, ut probarem, dari posse locum

interpretationi; sed thesim aliis et validis argumentis ipse probare conatus sum, et maxime ex *vi correlativorum*.

Puto me demonstrasse, quod Vesperae non queunt comprehendi in functionibus minoris gravitatis, quae possunt vel praecedere vel sequi Vesperas.

Concedo, quod mens legislatoris fuit eliminare abusus, ut ego quoque adverti; sed ex mea sententia, vi cuius Vesperae pontificales conceduntur Protonotariis ad instar, sicut Missa, nullus abusus sequi potest; quia Missa et Vesperae sunt correlativae, et hoc de nullis aliis functionibus verificatur. Ergo impossibile est, ut quod dixi de Vesperis, ad alias quascumque functiones extendi possit.

Adversarius carissimus argumenta mea in me retorquet, sed iniuste. Enim legislator bene potuit tacere explicite de Vesperis, quia stricte correlativis ad Missam; sed non poterat quin exprimeret *solam* Missam, si voluisset excludere Vesperas.

Non dixi Constitutionem incompletam, sed tantum probare volui eam continere implicite Vesperas, sicut explicite Missam, ratione *correlativorum:* propter quam applicanda est regula iuris 35, seu: *plus semper in se continet quod est minus*. Ergo male applicat adversarius verba Constitutionis: *Qui secus facere* etc.

2. Nego, quod in tribus et singulis casibus ab adversario relatis dici possit Missa in Oratorio privato. Nam ut in eo Missa haberi queat, cadaver debet esse praesens in domo Celebrantis, et nullo pacto sufficit ut maneat in Ecclesia, multoque minus si fuerit sepultum *(Vicen. 3 Apr. 1900 ad 3 et 4)*. Ita authentice S. R. C. interpretatur Decretum *Aucto*, quamvis aliter dicere videatur; ergo ratio adversarii non probat.

Ter habetur in dicto Decreto particula *vel;* et in primis duobus casibus accipi potest pro *et* sine ullo incommodo, uti consideranti patebit. Quare eodem sensu non

poterit eadem particula sumi tertia vice pro Oratoriis privatis et Ecclesiis etiam atque Oratoriis publicis, quamvis relative ad easdem Ecclesias et Oratoria ita restringatur, ut Missae liceant in uno die, sint vetitae in altero? Quod verificatur una vice ex authentica interpretatione, cur verificari non poterit altera vice ex interpretatione doctrinali, attentis rationibus adductis?

Decretum 3944 ad III hoc dicit quod Missae privatae de requie, ut sint licitae in Oratoriis privatis cadaver debet esse praesens sive physice, sive moraliter: ut autem sint licitae in Ecclesiis et Oratoriis publicis, requiritur etiam funus cum Missa exequiali. Ego autem, ex mea sententia, nil dixi in contrarium. Differentia tandem inter duas dictiones « *dummodo* cadaver sit praesens » et « *quoties* cadaver sit praesens » nescio quid valoris habeat, excepto quod adverbium *quoties* expressius indicaret plures Missas; sed utraque conditio generalis est, et semper agit de pluribus Missis, ac de praesentia cadaveris.

Quantum ad argumentum desumptum a Decreto 3 Apr. 1900 respondeo, quod in Dubiis I, II et III illud loquitur de Ecclesiis, non de Oratoriis privatis. In Dubio autem IV, quod agit de Oratoriis privatis, hoc dicit quod Missae in illis permissae possunt esse de requie, praesente cadavere in domo; servatis ceteris clausulis et conditionibus pro Missa solemni statutis. Inter has autem non potest esse unitas *Missae*, quia Decretum agit de *Missis*, quae inibi permittuntur.

Argumentum paritatis, secundum quod pluraritas dierum concessa pro Missa in Oratoriis privatis deberet multo magis admitti in Ecclesiis, valorem non habet. Quia lex potest concedere unum et non alterum: aliunde certum est, pluralitatem dierum non recognosci pro Missis quae in Ecclesiis dicendae sunt. Praeterea, una vel alia Missa in Oratorio privato minus est, quam omnes Missae in Ec-

clesia publica. Privilegium autem non solis divitibus favet sed etiam omnibus Episcopis, pluribus Praelatis, aliisque multis simplicibus Sacerdotibus. Ceterum quaevis Missa de requie suffragatur non solum animabus, pro quibus applicatur, sed reliquis omnibus animabus in purgatorio gementibus, quae participes sunt de fructu sacrificii.

Ephemerides non sustinuerunt sententiam huic contrariam loco citato seu ad pag. 672 an. 1898, in Dissertatione Dom. Philippi Giobbe; hic enim ad pag. 672 loquitur de Missis privatis, pro una vice tantum in Ecclesia, sed non in Oratorio privato. Egomet pariter ad pag. 207 anni praesentis non sum loquutus, nisi de Missis pro una vice tantum dicendis in Ecclesia; sed de Oratorio privato verbum non feci. Carissimus adversarius relegat utrumque locum, si ei quidem placeat, et facile aequivocationem suam deteget.

Spiritus legis est, ut faveat animabus in purgatorio patientibus: pro quibus lex largior esse potuit in Oratoriis privatis, quoad dierum pluralitatem, quam in Ecclesiis. Quia in his Missae, ultra cantatam, plurimae una die esse possunt; sed hoc de Oratoriis privatis nunquam accidere potest.

3. Nego, sensum verborum « non ultra biduum » comprehendere tantum tempus a morte ad sepulturam, et non posse comprehendere tempus a depositione ad sepulturam. Unde ipse sustineo, biduum tam ab obitu, quam a sepultura intelligi posse.

a) Quia dies obitus et depositionis pro uno eodemque ita sumuntur in sensu Ecclesiae, ut quod dicitur de illo, dici queat etiam de isto. *b*) Ita communiter intelliguntur duo dicti dies in Urbe, et secundum talem intelligentiam dirigitur praxis. *c*) Ipse Gonzalez, loco ab adversario citato, idem apertissime sensit, et patet ex exemplo, quod adducit. En verba: « Ita ex. gr. cadavere sepulto

ob iustam causam Sabbato Sancto, Missa exequialis permittitur feria II post Dominicam Resurrectionis ». Atqui a Sabbato Sancto ad feriam II post Pascha triduum habetur, seu biduum post diem sepulturae. Ergo Gonzalez in Ephemeridibus Liturgicis praesentis anni idem sentit atque omnes alii scriptores praesentis aetatis. Ceterum carissimus adversarius legerit, ut credimus, Dissertationem Henrici Miele in iisdem Ephemeridibus anni praesentis (*num. II, pag. 547 et seq.)*, ibique viderit et rationes et auctoritatem dictae sententiae.

SOLUTIO QUAESTIONIS

Pro mense Novembri 1900

PROPOSITIO.

Quid dicendum de sententia cuiusdam auctoris liturgici, qui docet obbligatum ad horas canonicas, cum solus officium recitat, non posse dicere in benedictione Lectionum, *Iube Domine*; sed dicere debet, *Iube Domne* (1)

SOLUTIO (2).

Optima et semper tenenda est in praxi sententia illius liturgici auctoris, qui docet obligatum ad horas canonicas, cum solus officium recitat, non posse dicere in benedictione lectionum *Iube Domine*, sed semper dici debere *Iube Domne*.

---

(1) Sententia auctoris cuiusdam est: « Qui, *solus*, recitat officium, dicere debet *Iube Domine*, non *Iube Domne* ». Propositio, nobis extra Urbem morantibus, mutata est: ceterum solutio aequaliter suum finem attingit.

(2) Eamdem dederunt solutionem optimam A. Mancini, et A. Fourneret: hanc selegimus.

Romsée quidem nostrae assertioni repugnat dicens: « in officio privato haec facultas (legendi) a Deo immediate quaeritur: unde dici debet, Iube *Domine*, et non *Domne*, benedicere » (1), et iuxta Cavalieri « id nonnulli putarunt, quod iste (qui recitat solus) aliquem ex hominibus non habeat qui possit benedicere, tum etiam quia sacerdos in Missa privata dicit: Iube *Domine*, et non *Domne*, cum lecturus est Evangelium » (2) Sed haec omnia immerito allegantur.

Primo, de omnium consensu, duplex non est textus Breviarii receptus pro recitatione horarum canonicarum, unus pro recitatione publica et communi, et unus pro recitatione privata singillatim facta, sed unusquisque, sive solus sive cum aliis recitet, horas legere debet, prout iacent, ad satisfaciendum. Bullae enim Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII non sinunt ullam mutationem, et Congregatio vult has constitutiones ad unguem servari, nisi interveniat aliqua dispensatio Apostolicae Sedis. Verbi gratia, qui solus recitat, dicit: *Dominus vobiscum* (3), *Oremus*, *Venite exultemus*, *Benedicamus Domino*, et non mutat in singulari quae in plurali dicuntur. Ergo a priori non varianda est formula, de qua in casu, sicut et non variantur alterae.

Secundo, si lector alloqueretur Deum, ut docet Romsée, nulla benedictio correspondens posset haberi veluti responsio ad huiuscemodi interpellationem. Singulis enim vicibus verba benedicentis vere denotant hominem. Sit in exemplum: *benedictione perpetua benedicat* **nos** *Pater aeternus. Amen.* Iam audis aliquem benedicentem, qui ipse indiget benedictione Patris, cum illam vocet non solum super lectore, sed super seipso: quod Deo repugnat, sicut aliae benedictiones, nempe: *divinum auxilium maneat semper* **nobiscum**, et praesertim: *Evangelica lectio sit* **nobis salus et protectio**, vel: *cuius festum colimus*, **ipse** *intercedat* **pro nobis ad Dominum**, aut: *Ad societatem civium supernorum perducat* **nos rex angelorum:** quae omnes nullum aut malum sensum habent, si has supponis procedere de ore Dei, quem lector in casu alloquens fuisset.

(1) Tom. 3, cap. I, § 13 ad 4.
(2) Tom. 2, cap. 34, dec. 5, n. 2.
(3) Rubr. gen. Tit. XXX, n. 3.

Tertio, dici nequit quod qui recitat solus, ille non habeat aliquem ex hominibus, qui possit benedicere. Sicut enim solus recitans et dicens *Dominus vobiscum*, loquitur ad membra ecclesiae, quam totalem repraesentat, sic dicens *Iube Domne* censetur alloqui superiores eiusdem ecclesiae, in quorum nomine sibi respondet, quemadmodum in aliorum nomine sibi respondet : *et cum spiritu tuo*. Unde nihil de obiectione remanet.

Quarto, acquiparatio quae instituitur in casu inter Missam privatam et recitationem quoque Breviarii privatam non potest sustineri. Rubrica enim pro Missa mutationem *Domne* in *Domine* praescribit, dum pro officio silet. » Cur vero, ait Cavalieri, in Missa dicatur *Iube Domine* et non *Domne*, non est facile stabilire (1). Haec tamen ratio congrua esse potest quod sacerdos ad

(1) Convenire difficile credimus posse cum optimae licet notae auctore, Cavalieri; cum momentum ab eodem cl. Auctore allatum et ea quae a cl. Solutore in medium adducuntur, rem apprime demonstrent, eiusque rationem. Pro coronide addimus, officium saepe recitari simul a pluribus, et semper sic posse recitari. Iure ergo supponitur superior et inferior, vel de iure vel de facto, inter homines inquam, et minor a maiori benedicitur. At maior iste benedicens, non suo nomine agit, sed Ecclesiae : quo proinde deficiente, ipse recitans, qui benedictionem petit tamquam inferior, sibi benedicit nomine Ecclesiae, quae recitante superior est. Sed vero Missam nonnisi solus facere potest Sacerdos : ut unus sit semper qui sacrificat, quamvis plures simul sacrificare possint: ut esse inter eos nequet inferior et superior. Benedictio ergo a Deo petitur immediate, nullus inter homines alius cum eo immiscere se valet neque consequenter benedicere Sacerdoti, vel pro eo benedictionem pro illo implorare a Deo, aut illi eam dare nomine Ecclesiae. Sacerdos enim Christum, maxime quatenus hominem, repraesentat, se ut hominem sacrificantem in ara Crucis : eique non est superior in terra. Toto ergo iure, sive ab uno recitetur officium cum aliis, sive solus, semper *Iube* **Domne**, et nunquam *Iube* **Domine** dicendum, Papa excepto, vel Episcopo in sua dioecesi: ratio patet. In Missa autem semper *Iube* **Domine**, et nunquam *Iube* **Domne**, a quocumque Celebrante dicendum est. Haec ratio,

Altare, ratione excellentissimi ministerii quod exercet, aptus non videtur alium quam Deum in superiorem agnoscere, et ideo sicuti ratione pontificiae dignitatis Papae et episcopalis Episcopo, dum ad Matutinum in choro lectionem legunt, datum est dicere *Iube Domine* et non *Domne*, ita idipsum datum est sacerdoti celebranti. Quod autem ratione tantae dignitatis his concessum est, traduci non potest ad ceteros qui in choro nullum superiorem haberent, ut scite monet Gavantus, ubi de caeremoniis agit, sed ab aliis dici debet, etiam dum privatim dicitur, tanquam cum aliis et coram superiore diceretur, cum recitatio privata in locum publicae subrogetur; dum autem qui solus recitat, sibi petenti benedictionem impertit, aliorum nomine loquitur » (1).

Ceterum, ait Claudius de Vert (2), « s'ils venaient (ceux qui disent leur office en particulier) à omettere ou à changer quelque chose de cet office, ce ne serait plus l'office public qu'ils sont obligés de suppléer, ce serait un office tout différent, un office privé et particulier, dont l' Eglise n' a pas même d'idée. Que fait donc un ecclesiastique, lorsqu' il récite son office en particulier?.... Il dit seul ce que disent à l'office public les différents ministres. Ainsi quand il dit *Dominus vobiscum*, il fait la fonction de l'officiant, et lorsqu'il répond *et cum spiritu tuo*, il fait celle du choeur ».

Quinto, quum Ecclesia nondum iudicavit opportunum facere textum peculiarem pro iis qui singillatim officium recitant, iisdem verbis profecto uti debent, quibus uti semper consuevit usque ad hodiernum diem. » Porro, ait A. Carpo, S. Gregorius Turonensis refert (De Miraculis S. Martini lib. 3) divum Ambrosium lectiones incipi noluisse, nisi prius ipse lectori signum daret ». Nocturnum cum Psalmis olim finiebat, et Monachi a choro discedere nolentes, vacabant lectionibus; sed mos antiquissimus fuit ut lectiones recitaturus, non prius inciperet quam permissionem *a Praelato, ab Abbate, a Praeposito* recepisset. Hanc

quam stabilire nullius est laboris, et ex qua Rubricae, satisque sapienter, aliud pro Missa, aliud pro officio statuunt.

(1) Caval. Tom. 2, cap. 34, dec. 5, n. 2.

(2) Explication des Cérémonies, Tom. 4, pag. 107 et 108.

autem facultatem lector per benedictionem recipiebat, quam humiliter postulabat. Primitus hoc faciebat verbis: *Benedic Pater*, postea vero usuvenit formula *Jube Domne benedicere*. Ergo nullum dubium est quod lector numquam allocutus est Deum, sed hominem.

Nihil aliunde magis convenit ac formula, qua utitur lector erga suum superiorem. *Iubere* in hac formula significat *velle* seu *dignari*, et petitionem maiori cum animi demissione ac veneratione conceptam exprimit. Benedictionem petit lector, magnae iterum humilitatis gratia, a *Domno*, ab eo scilicet qui officio praeest, non vero immediate a *Domino* Deo; nomen quidem *Domini* soli Deo tribuitur, syncopatum autem *Domni* tamquam honoris titulus homini datur. Itaque formula petitionis idem sonat ac si diceretur: velis, seu digneris, Domne, benedicere; da, Domne, benedictionem. Sed, ut interpretatur S. Petrus Damianus, Benedicens non per semetipsum benedictionem dare praesumit, nec subiecto cuiquam benedicendi delegat officium, sed a Deo qui est super omnia benedictus et fons omnis benedictionis, illam erogari exposcit, et sic humilitati lectoris respondet humilitas benedicentis, qui se indignum iudicat benedicere, et Deum precatur supplere suae insufficientiae.

Denique Rubricae consecrarunt hanc primaevam consuetudinem, quae sic Caeremoniali Episcoporum describitur: « Ipse Canonicus stans apud legile, inclinat profunde se versus Episcopum, et petit ab eo intelligibili voce benedictionem dicens : *Iube Domne*, benedicere, et non *Domine* » (1).... « Idem per omnia facit secundus, et tertius canonicus, ac successive alii in secundo et tertio Nocturno, lectiones cantaturi » (2).... « Episcopus autem (ad nonam lectionem) si non aderit in choro maior se, stans.... dicit cantando versus Altare: Iube *Domine* benedicere, et non *Domne*, cui absolute respondetur per chorum: *Amen*. Si vero adesset legatus aut aliquis praelatus se maior, Episcopus versus ad illum peteret benedictionem, ille vero stans in loco suo responderet: *Ad societatem civium*.... vel *Per evangelica dicta*.... » (3). Hinc iuxta Rubricam, solus Episcopus alloquitur

(1) Lib. 2, cap. 5, n. 5.

(2) Ibid. n. 7. (3) Ibid. n. 9.

Deum, quando *in choro* non adest aliquis *maior se*, et in casu respondetur a choro tantum *Amen*, et S. R. C. declarat eiusmodi privilegium extendi non posse ad alios quoscumque praelatos inferioris dignitatis, nisi eis a S. Sede sit specialiter concessum (1).

Si ceterum quis vellet sibi vindicare tale privilegium, iam deberet tantum sibi respondere *Amen* iuxta memoratam Rubricam, et nullus auctor talem doctrinam sustinere auderet.

Quae quum ita sint, nostra sententia est sola in praxi servanda, et concordat cum doctrina cl. Cavalieri, A Carpo, De Herdt (T. 2, n. 329), Van Der Stappen (De off. divin. Pars I, art. II, § I, B, n. 1), Stolla (cap. 6, § 5, q. 6), Gavantus (Sect. 5, cap. 11, n. 4), quos velut duces in hac solutione semper habuimus, quatenus talis est textus receptus in recitatione officii divini communi et publica, nec alius datur pro privata (2).

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Rom.
Parochus loci vulgo dicti Lannes
(dioecesis Lingonensis).

(1) S. R. C. 15 feb. 1659, n. 1108.

(2) Omni ergo cum certitudine infer : Sententiam contrariam ab ista cl. Fourneret, quem nuper Secretum Academiae Liturgicae Romanae Consilium *Censoris honorarii* titulo decoravit, esse falsam.

C. Mancini
Acad. Liturg. Rom. Moder.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.